



00
Kr

2947
Am



AUSPICE CHRISTO!

Auctoritate Gratosissimi Medici Ordinis
in incluta ad Salam Academia,

MODERATORE

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO, D.

Anatom. Chirurg. ac Botanic.

Prof. Publ. & Archiatro,

*Dn. Præceptore, Patrono atque Promotore
æternum colendisimo,*

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

De

AMORE INSANO,

PRO LICENTIA,

Supremos in arte Medica Honores ac Privilegia Doctoralia

Majorum more legitimè consequendi,

publicæ Philiatorum censuræ exponit

AUGUSTINUS SEVERUS Bachhaus /

Döbritzâ-Thur. h. t. Practicus Möllnensis,

ad d. 26. Jun. M. DC. LXXXVI.

IN AUDITORIO MAJORI

horis ante- & pomeridianis.

J E N Æ,

LITERIS KREBSIANIS.



Auctoritate Ordinarii Medici Ordinis
in unum et eundem locum
MORAVIAE

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO, D.

Anatomie Chirurgiae ac Botanicae
Prof. Publ. & Ordinatio
Dr. Praeceptoris Praeceptoris Praeceptoris

DISSERTATIONEM IN ANATOMIA
DE
AMORE INSANO
PRO LICENTIA

Superius in hunc Modum Honoris ac Privilegii Decretalis
Mortem tunc legitime comparabit
publica Praesentatione celebranda

AUGUSTINI SEVERIUS SEVERUS
Dobner, Thuc. h. r. Praeceptoris Mordani
et de Jan. M. DE VALLI
IN AUDITORIO MAIORI
Locus ante & posterius

J. E. W. A.
LITERIS KREBSIANIS





A. Ω.

PROOEMIUM.



TRiplex in genere humano *amoris* genus reperitur; *conjugalis* sive matrimonialis: *Socialis* seu civilis: *lascivus* sive ferinus. *Primus* nihil aliud est, quam operum Dei conservatio, fulcimentum nostri generis, solatium funeris, prima lex mundi. *Socialis* populorum congregatio, imperiorum fundatio, augmentatio, conservatio, & boni publici summa lex. *Lascivus* sive cupidineus bonorum paternorum dilapidatio, honestatis obliteratio, roboris virilis jactura, rationis perturbatio, bonarum legū foedissima transgressio. Et ut *Verulamii* verbis utar: *Conjugalis* amor creat genus humanum, *socialis* perficit, *lascivus* inficit & dehonestat. *Conjugalis* foecundissimus; *Socialis* firmissimus; *Lascivus* dissolutissimus. Primum nisi suis civibus graviter svasisset, postquam orbi terrarum formidabilis facta Roma, *Metellus Numidicus* censor, nil nisi res unius ætatis fuisset. *Alter* si sanctius colitur, nulla non Respublica, à parvis licet initiis, in immensum & metuendum crescit imperium; sin verò in hominum animis mutuus friget amor, etiam amplissima imperia usque adeò pessum eunt, ut posteritati, suis in ruinis vix adhuc innotescant. *Lascivus* quos corripit amor, planè reddit fanaticos. Et miserissimi amatores arreptitiis sunt

A 2

simillimi



simillimi, nisi quod furiant decentius; nec exorcismis vexatur aut pellitur furia, quæ pectora eorum infedit. Totis animis, totisque corporibus jactantur miseri; nunc aureo colore, nunc cinereo, & interdum laborantis lunæ tristissimam speciem referentes. Cum verò *Insanus* ille *amor* sit ignis latens, vulnus gratum, venenum sapidum, morbus delectabilis & mors blanda; placuit de eo scrutinium Physico-Medicum conformare, & visis brevissimè causis in ejusdem remedia inquirere, & *speciminis inauguralis* locò examini publico placidoque exponere. Faxit castissimi amoris conjugalis autor, & concordantis societatis fundator, ut hic noster labor cedat in multorum amentium amantium salutem!

Quamvis ad curam alicujus morbi nominis cognitio nihil conferat, nihil quoque referat, prout Lang. in suis epist. misc. 21. scribit; mihi tamen, præsentis hoc negotio implicito, vitio haudquaquam versum iri autumo, qui paululum extravagans, philologorum scrinia perquirere intendo; ordinem, quò, juxta *Xenophontem* nihil melius nihilque utilius est in vita humana, fervans.

Etymologiam quod concernit, sunt quidam Criticorum, qui vocabulum $\alpha\gamma\alpha\pi\alpha$ amor ab Hebræo אִמָּה quod matrem denotat, deducunt, quòd matres sobolem suam nimio amore prosequi soleant. Porro nec illi incongrui videntur, qui hujus voculæ derivationem à Græco, ἀμείνω, quod colligo; vel etiam μείνω, quod quero denotat, petunt: nam quæ anxie colligimus & studiosè quærimus, ea dubio procul amamus.

Cum verò *amor* sit nomen generale, quod de pluribus dici aptum est, lubuit proindè epitheton addere, eumque *insanum* simul appellare, ut innotesceret, qualem præsentibus hisce in pagellis simus exhibituri. *Insanus* autem dicitur

tur

5.
tur à modò, quia insanire facit, hominesq; sanis consiliis, fanâque ratione privat.

Synonymiam si spectamus, haud pauca apud scriptores invenimus nomina, huic exacte respondentia. *Ovidius* in libris, quos de Amore conscripsit, passim illum vocat *cupidinem*, *cupiditatem*, it. *cupidinis æstrum*. A Comico *furiosa libido* insignitur. *Virgil.* per Ignem exprimit, quando de *Didone* canit :

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. Aliis *ardoris* nomine venit. Apud *Senec.* in *Hippolyt.* ubi amorem insanum egregie depingit, *æstus* audit *tacitus.* *Arculanus* *passionem divinam* vocat. Et cum *amor* unanimi tum medicorum, tum aliorum scriptorum consensu, oculorum beneficio in mortalium cordibus accendatur, illum $\lambda\pi\omicron\ \tau\acute{\omicron}\ \omicron\pi\acute{\omicron}\sigma\epsilon\omega\varsigma$, à *visione*, *Heroa* dici *Plotinus* profitetur. A Græcis nominatur $\acute{\epsilon}\rho\omega\varsigma$, & $\acute{\epsilon}\rho\omega\tau\alpha$, *Æolicè*; $\acute{\epsilon}\rho\omega\tau\alpha$ autem ideò ab ipsis nuncupari, quia per oculos $\epsilon\iota\sigma\eta\epsilon\iota$, i. e. *animo & hepatis* insuat, asserit *Plato*. De vario hoc scriptionis genere id notarunt Grammatici, quod quoties cum \omicron scriptum reperiatur, toties semper in bonam partem, pro amore nempe decenti, licito & casto accipi debeat; cum ω verò, pro flagitioso & minus licito. Germani dicere amant, *die tolle Liebe.* it. *Die unsinnige Liebe;* it. *Er ist vor allzu grosser Liebe ganz rasend/ & si quæ sunt alia.*

Homonymiam tandem ut paucis attingamus, *amoris* vox vel propriè vel impropiè accipitur. Propriè spectata, *amor*, definitore *Augustino*, lib. de *Amicit.* est *animæ rationalis affectus*, per quem ipsa aliquid cum desiderio querit & appetit ad fruendum, per quem & fruitur eò, & cum quadam suavitate interiori amplectitur, & conservat adeptum. Ex his amoris proprietates sat luculenter evinci potest. Impropiè *amor* ponitur per metonymiam (1) pro *cupidine*, quem *amoris Deum* veteres poëtæ credidère : Sic enim canit *Propert* :

Qui cunque ille fuit, *puerum* qui pinxit *amorem.*
& *Theocrit.* $\nu\upsilon\nu\ \acute{\epsilon}\gamma\omega\omega\nu\ \tau\omicron\nu\ \acute{\epsilon}\rho\omega\tau\alpha\ \beta\alpha\rho\upsilon\varsigma\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$: h. e. nunc novi
Amorem, *gravis est DEUS.* (2) Pro *Amatore* : elegans, locus a-

A 3

puð



pud *Ezech. cap. 23. v. 17.* ubi amorum sive amatorio concubitu
 Babylonii congressi fuisse cum Jerusalem dicuntur, extat.
 Quo in loco *amores* pro *amatoribus* impuris, profanis nem-
 pe gentibus, sumuntur. (3.) *Amor* in scripturis passim pro
objecto amoris, seu pro *re amata* usurpatur. Et hoc in sensu
 vocat Ecclesia *amorem* suum Christum *sponsum*, h. e. eum,
 quem unicè amat. Eundem quoque significatum obtinet
 illud Ignatii de Christo loquentis, *ἐμὸς ἐγὼς ἐσαυρώθη*. (4.)
 Pro *nuptiis*: hinc *amorum canticum*, est *carmen nuptiale*. *Amo-*
rum tempus, est *tempus celebrandis nuptiis idoneum*: cum scil.
 puella jam matura est, ut viro nubat. Tandem etiam
 (5) pro *re suavi*. Hinc *amoris funes*, pro *suavi jugo* usurpari
 legimus.

Consideratis hisce præliminaribus rei ipsius naturam
 sequenti definitione exhibemus: *Amor insanus est symptoma*
rationis depravate, ab intensò rem amatam consequendi desiderio,
spirituum motum turbante, ortum.

Generis sive formalis rationis vices sustinet *symptoma*,
 quod *Petri Foresti* sententia confirmatur, qui *symptoma*
imaginationis corruptæ esse docet, rationemque statim sub-
 necit, quia in mente concipit figuram pulcherrinam muli-
 er vel vir, atque eam tantum cupit puella vel adolescens,
 ut in insaniam vel furorem amor ille convertatur.

Consistere autem non in excretis & retentis, neque in
 qualitate mutata, sed actionibus læsis annumerandum esse,
 cum omnibus Institutionistis sentimus.

Cum verò variæ dentur facultates, in quibus actionum
 læsio locum invenit, in definitione addidimus esse *sympto-*
ma rationis. Ratio quidem per se lædi non potest, & si
 læditur, ex accidenti id fieri, ob læsam nimirum phanta-
 siam, putamus.

Subiectum affectus nostri sat periculosi duplex constitui-
 tur: unum *primarium*, *secundarium* alterum. Illud *cerebrum*
 esse nobis firmiter persuademus, ducti autoritate medico-
 rum maximè celebrium *Paul. lib. 3. cap. 17. Avic., Forest. lib. X.*
obsero.

7.
observ. 29. inter cerebri affectum illum connumerantium :
quod reverà etiam ita esse commonstrat facultas læsa in
ipso affectu, *ratiocinatio* nimirum ex fixâ imaginatione in
re amatâ. vel ut cæteris doctis placet, ipsa imaginatio: & qui-
dem non sola imaginatio fixa in re amatâ, sed ipsa etiam ra-
tiocinatio. Utramque autem ad cerebrum spectare nullus
erit, qui dubitare poterit. Illâ enim vitiosè se gerente, spe-
cies intelligibiles malè dijudicantur, & exercentur, ut hâc ra-
tione affecti *κακότητος* amisisse & brutalitatem καὶ τὸ ἀγρίον *ag-*
restem immanitatem induisse videntur. *Secundarium* ponimus
(1) *Cor.* Amorem cordis passionem esse vel ipsum vulgus au-
tumatur; hinc hominum corda ab amore vulnerari & sagittis
confodi & flammis exuri traditum. Insuper amorem cordis
passionem esse testantur suspiria quamplurima, & alii affectus
cordis passionem hanc subsequentes: quibus & additur ipsius
effectus origo, quæ non alia est quàm spes: nam spes amo-
rem, & desiderium rei cognitæ excitare videtur. Amorem
cordi natales suos debere testatur *Marsil. Ficinus in Platon.*
Conviv. orat. 7. c. 2. his verbis: *Cordis autem morbo eam proprie in-*
saniam fieri arbitramur, quâ affliguntur ii, qui perditè amant:
idemq; sentit *Taurell. in comm. ad cap. 1. de Amore Arnold. Villan.*

Galenus cum *Platone* amoris sedem in hepate posuere,
exinde, quia amorem facultatis concupiscibilis motum esse
putarunt. Ita enim *Plato* in *Timæo*, citante *Langio epist.* jam
supra allegatâ, dicit: Vidèbat Deus partem animæ concupi-
scibilem talem fore, quæ rationem non exaudiret, & si quo
sensu pulsaretur, nec rationi obtemperaturam, sed simula-
cris, & visis nocte dieque maximè rapi, idcirco naturam jē-
coris procreavit longè à cerebrô, rationis domiciliô, disti-
tam, & ejus habitationem in eo disposuit; Horum in sen-
tentiam pedibus quasi it *Lactant. lib. de oper. Dei cap. 4.* rerum
venerearum libidines in hepate contineri autumans. Hoc
etiam antiquiores innuisse videntur, amantem sub persona
Titii effingentes, qui apud inferos ab Apolline relegatus eâ
pœna mulctatur, ut vultures ipsius hepar assiduè dilanient

8.

& dilcerant; dilaniatum autem illud denuò renascatur, ac sine intermissione ab iisdem vulturibus dilaceretur. De hac fabula *Homer. Odysf. lib. 10.* ita cecinit:

Sed Titius nobis hic est, in amore jacentem

Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor.

Porro, nec illos injuste facere arbitramur, qui etiam reliqua viscera, per quæ spiritus vitales suam & originem & perfectionem nanciscuntur, subjecti loco constituunt.

Causam immediatam in definitione posuimus *desiderium rem amatam consequendi intensum*. Species enim rei amabilis vel reverà pulchræ, vel apparenter talis, ex visu vel colloquio concepta, fortiter si memoriæ imprimatur, & imaginationi ac menti sapius offeratur, non potest non tantum rei amatæ desiderium & appetitus oriri, magnam inde mutationem in homine producens. vid. *Sennert. Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4. it. lib. 1. part. 2. cap. 10. med. pract.*

Causa mediata sunt vel *proximiores*, vel *remotiores*. Inter proximiores Galenici humoribus & vaporibus atrabilariis cerebrum intemperantibus ac animales spiritus vitiantibus, primas tribuunt. Ex amore enim diuturno, corpus vigiliis, curis, sollicitudine confectum exsiccatur ac tabescit, & hoc modò igneus, torridus & atrabilarius sanguis progignitur, qui in cerebri arcem deductus, ibique stabulans furorē & insaniam parere aptus est. *Chimici* hujus mali aliorumque deliriorum causam in fr̄io præcipitatō cerebrum & cellulas judicii lædente, quærunt.

Ex *remotioribus* considerandæ veniunt (1) *supranaturales*. Diabolum tanta potestate pollere, ut homines imprimis à verâ pietate alienos variis tentationum illecebris interioribus agitet, ipsæ testantur observationes à Spiritu Sancto in Novo Testamento consignatæ & propositæ. Præstat autem hoc rarius immediatè, plerumque verò mediatè, per sua organa, præstigiatores, veneficos, sagas, & similes farinæ nauci homines.

Inter

Inter *Remotiores* sequuntur porrò 1. *Temperamentum atrabile*. Nimia enim sollicitudo & intensum desiderium humorem melancholicum adurant, intemperiemque ficcam absque humore inducunt, ut inde macies & tandem insania sequatur.

2. *Ætas juvenilis* scoriarum biliosarum variorumque excrementorum, aliàs non infœcunda mater, præ reliquis atroci hoc affectu cruciari solet; quod Poëta innuere videtur, quando canit:

Aut Deus, aut lapis est, qui non juveniliter ardet.

3. *Sexus* huc etiam transferendus. Neuter hic excipitur. Quis enim ignorat tam *Potipharam* excellentis speciei juvenem *Josephum*, quam *Ammonem* sororem Germanam perditè amando huic morbo fuisse obnoxios? Magis tamen *sexus* sequior hęc tentatur malo; nam spiritus non adeò activos lucidos, sed magis torpidos possidet; hinc objudicii imbecillitatem connatam imaginatio facile lædi potest. Insuper quoque uterum ministerio suo non ritè fungentem variis imaginationibus ansam præbere, nemo non mecum fatebitur; undè vel hujus solius ratione juvenulæ æque ac viduæ, ut & impotentium uxores hęc tentari delirio abundè testantur medicorum historiæ.

Tandem *oculorum* potissimum *beneficio* amor in hominum animos influit. Quod ipsum antehac docuerunt *Plato lib. 6. Stromat.* amoris, *inquiens*, initium, visus. & *Plutarch. lib. de amore*: capiendi amoris visus est ansa. *Isocrates in encomio Helena*, *de Theseo illam amante*: illam ut vidit, tanto ejus amore formæ est victus, vincere alios solitus. Huc etiam spectat tritum illud:

ἐκ τῆς ὀφθαλμοῦ γίνεται, τὸ ἐρεῖν.

Et sacras si pandectas evolvimus, reperimus *Jobum cap. 31.* sacratissimo numine ductum doctè admodum cecinisse: *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*: ac si dicere vellet, non orituram, aut non nocituram, pravi ac lascivi amoris in animo cogitationem, nisi uberius oculis

B

uteretur,

uteretur, qui viam sternerent cogitationi. Non rarò quoque ex adspectu eorum, quos saltem pictos videmus, oriri amorem, constat exemplo *Paridis*, qui hòc modo Helenam concupivisse dicitur: de quò Poëta sic ludit:

*Et nunquam vise flagrat amore puella,
Ejusdem etiam tenoris est illud Ovid.*

Mars videt hanc, visamq; cupit.

Nec *Theocritum* ab his alienum sentire, verba ipsius probant, quæ sic sonant: *ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βάθυν ἄλλῃ ἔρωτα,* i. e. *ut vidit, ut insaniit, ut in profundum incidit amorem.* Ex his satis superque apparet mira ista potentia, quam oculi in affectibus amatorii obtinent. *Zacut. Lusitan.* hoc altius secum reputans *lib. 1. prax. hist.* in hæc erumpit verba: Sunt oculi quasi fenestræ; per ipsos enim anima respicit, quod exterius concupiscit. Oculi quippe multo igneo & radiofo spiritu nitent: quamobrem ad rei amatæ oculos jaciunt radios, qui, cum spiritus devehant, vaporem illum vehementius incendunt: his incensus, & amati specie agitated oculus, cor agitat, incendit, urit cupiditate fruendi, dum vicissim ab amato, suis oculis recipit aculeos.

Nec postrema causa hujus affectus est *quotidiana cum objecto amato conversatio seu consuetudo.* Sapienter *Socrates* apud *Stobæum serm. 6.* Ignem quidem ventus, amorem verò consuetudo accendit. Quò etiam pertinent *lectiones rerum venerarum*, huic malo promovendo sat aptæ natæ.

Ex *Non-naturalibus* se sistit, *Aër calidus & siccus.* Siccus enim corpora exsiccat, densat, & cum caliditate junctus humores urit.

Cibus magni hìc est momenti: cibi enim crassioris succi, nimis saliti, acidi, pontici, nimum aromatizati, melancholiæ semina in corporis agrum spargunt: Immoderatio *vini*, aliorumque insalubrium usus ad producendum hunc morbum suum *ἰνὸν κάλλον μέγ* contribuunt. Horum etiam spectant *philtia*, quæ juxta *B. Sennert.* & *B. Mabium* quidem ardorem in venerem excitare valent; non autem
creden-

credendum, ardorem illum in definitam ac certam aliquam personam determinari posse, nisi forsan amasia illa malefica tum temporis homini libidinis oestro quasi percito & furenti sese offerat ac oggerat, artibusque amatoriiis in amorem protrahere conatur. Ut plurimum tamen philtris potius furor quam amor excitatur, juxta illud Nasonis:

Philtrum nocent animis vimq; furoris habent.

Paratiores ad hoc malum sunt, otiosam vitam qui agunt. Unde recte dixit Ovid. lib. 1. de Remed. amoris:

*Otia si tollas, perière cupidinis arcus,
despecteq; jacent & sine luce faces. Et*

Anton. de Quevarr. lib. 2. cap. 12. Horol. Princip. inquit: Per otium deses & supervacaneas cogitationes, oculi aberrare, mens perturbari, voluntas depravari solent. Et alibi: patrum negligentia, matrumq; indulgentia facit, ut laborem misellæ honestum fugiant, & inhonesta amplectantur oblectamenta.

Animi pathemata nocivum etiam adjiciunt calculum: quippe his spiritus in consideratione objecti amabilis concupiti magis magisque intenduntur, hinc lente consumuntur, corpus ad atrophiam & siccitatem disponitur, nervosumque genus suo vigore, quo deberet gaudere, defraudatur. Quod si verò rei amatæ potiundi nulla datur occasio, tristitiâ & odio detinentur: in his sanguis cum spiritibus figitur, in-crassatur, debitoque suo calore privatur, motusque ejus ac distributio retardatur, & sic morbis, imò lentæ morti ansam dant evidentem.

In *Rerum præternaturalium* censu aliquando occurrunt tum *intemperies* ipsius cerebri tam simplex quam composita, tum & aliarum partium. A suffocatione uterinâ malum hoc ovum excludi testis est *Forest. lib. cit.* Ex justo diutius retento semine, & exindè acquisitâ pravâ diathesi malum hoc augeri nemini potest esse obscurum. Et id ipsum confirmat *Gvalter. Charleton. exerc. pathol. 7.* sic differens: Mulieres quædam acrius *πολυπερμίας* igniculis prurientes infaniunt

præ desiderio confvefcendi cum viris; & nonnullis usque adeò hoc fævit malum, ut vel veneficio afflatæ, aut à caco-dæmone obsessæ vulgò judicentur. Ex his cuilibet persuasum esse convenit, tam ex vitiati feminis stagnatione, quàm menstrui floris suppressione detrimentum naturæ inferri. Et hæc de causis sufficiant.

Ulteriùs progrediendo *Differentias* nunc enodabimus. Distingvimus autem *Amorem* vel in *licitum*, vel in *illicitum*; illum iterum vel in *remissum* five minus *ardentem* & *vehementem*, qui aliquando in sacris pandectis per *odium* denotatur; vel in *intentiozem* five *ardentissimum* & *vehementissimum*, cujus in proœmiò nostrò mentionem fecimus, conjugalem puto, quo conjuges se invicem prosequi solent, qui satis blandus & svavis affectus est, si intra limites contineatur suos. Neque ex hujus numero excludendus est is, Græcis σοφῶν dictus, quem parentes erga liberos gerunt suos & contra.

Huic apponimus alium, suprà sociale nuncupatum, qui quanti æstimandus ex dictò locò allatis patet. *Illicitus* & *vituperandi* amoris nomine nobis venit (1) *amor sui*, *Φιλαντία* appellatus, cum quis se suaque omnia vel corporis, vel animi bona pluris facit, quàm illa vel in se sunt, vel æstimare oporteat, sibi vehementer placet, sapiens est iudicio suo, superbus, contemnens alios &c. (2) *Amor impurus* seu *venereus*, qui est, ut *Seneca* ait, rationis oblivio & insanix proximus, fœdum ac minimè conveniens animæ sospiti vitium; turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. Et hujus gradus quosdam esse monet *Sennert. Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4.* Alii, inquit, saltem impotentius amant, & cum ratione insaniunt. Hi quamvis amoris impetu à rectis consiliis abducantur, prorsus tamen non aberrant, sed etiam, dum minus rectè agunt, errorem agnoscunt; nihilominus affectus magnitudini obsecundant, & vident meliora probantque, deteriora verò sequuntur: & juxta *Terent. in Eunucho. act. 1. scen. 1.* prudentes, scientes, vivi videntesque pereunt.

pereunt. Sæpè affectus magnitudo eò usque procedit, ut ex continuis, quibus noctes diesque vexantur affectibus, tristitia, curis, solitudine, ira tandem planè mente priventur. Undè rectè *Theophyl.* Vide, fatur, quid non faciat amoris rabies, & quantum ardeat?

Brevitati studentes, pedem promovebimus *signaque e-*ruere conabimur; ubi statim sub primo intuitu se offerunt *Diagnostica*, & inter hæc (1) *Macies*: crudeli enim hoc morbo vexati macie consumuntur; hinc *Ovid.* Facit amor *maciem* & longa internodia crurum. Huic sententiæ adstipulatur *Virg. 6. Æneid.*

Hic quos durus amor crudeli *tabe* peremit. Et *Theocrit. Idyll. 1.* ubi tandem fuistis ô *Nymphæ*, cum *Daphnis* amore tabesceret? Hoc morbo atroci & fero oppressi, *decolorés* sunt, *exanimés*, *pallidi*, *graciles*, *excarnés*, teste *Galeno*: præ mœrore enim vigiliis contumacibus, curis & imaginationibus assiduis viscera & officinæ coctionis, spiritu nativoque calore defraudantur, cibum averfantur, nec amplectuntur; & hæc ratione minus fausta fit concoctio, & sic atrophiam correpti marcescunt & extenuantur. (2) *Oculos* habent *cavos*, intra *supercilia* conditos, *siccósque* sine lacrymis, *conniventes*. (3) *Pulsus* *inaequalis* & *turbatus* est. Absente re amata pulsus parvus, debilis & processu temporis durus observatur. Cum autem amoris recordatio vel visu, vel auditu, vel epistolarum lectione repente subierit, protinus percussam mente pulsus pariter perturbatur, ut neque naturalem æqualitatem aut ordinem ostendat: Imò tantus nonnunquam evadit, ut venæ disruptæ sint visæ, quale exemplum refert *Schenck. lib. 1. obs. 270.* de nobili quodam, qui (insanus præ amore) nobili & honestæ cuidam fœminæ viduæ, cujus nuptias ambiebat, assidebat. Hic in prandio ad mensam cum colloqueretur: ecce vena in temporibus prope aures illi spontè aperta est, & profluxit copiosus sanguis, quem strophiole compescere conatus est. (4) *Amantes* *tristes* sunt, *demissi* & *insomniculosi*. (5) *Crebra* *suspiria* *emittunt*, *lon-*

gisq; de amore suspiriis cogitant. *Forestus* signa hujus gravis affectus descripturus, more pictorum vastas & ingentes res parva tabella includentium, ea hujusmodi coloribus depingit: Amantes, inquit, sæpenumero suspirant, mœrent, gemunt, lamentantur, plorant, ejulant, turbantur, nusquam consistunt, non quiescunt, aliena ac malè cohærentia loquuntur, desipiunt, delirant, insaniunt, & nisi in tempore ad sanio rem mentem reducantur, se ipsos confodiunt, jugulant, interimunt. Ex his & aliis recensitis signis *Erasistratum* medicum, *Antiochum* *Seleuci* regis filium amore *Stratonices* novercæ adeò tabescere, deprehendisse *Valer. Maxim. lib. 5. cap. 7.* scriptum reliquit. Et *Galenus*, se *Justam* *Boëthi* viri consularis Romæ conjugem, *Pyladis* saltatoris amore flagrare & languere, ex iisdem cognovisse, *lib. de præcognit. ad posthum. cap. 6.* literis consignavit.

Affectu satis cognitò *Prognosin* aggredimur. Hic cum adhuc in fieri est, non adeò periculosus judicatur ab Autoribus; contra si diu duraverit, altasq; radices egerit, eò periculosior habetur; quin ut plurimum ægros vel marasmo & tabe consumit, vel in insaniam & furorem eos migrare cogit, ita ut inde sæpius sibimet ipsis consciscant mortem & præ mœrore nonnunquam miseram expellant animam. Tristis talismodi eventus exemplum præbet puella apud *Schenk. lib. 1. obs. 269* Hæc propter retrogradas nuptias in magnum animi mœrorem incidit, quem propter continuas lacrimas, cum omnem consolationem respueret, consecutus est dolor capitis ingens, hunc epilepsia, epilepsiam mors. Hoc quoque funesto suæ vitæ exitu comprobatum it *Lucretius*; hic quanquam plura amoris remedia scripserit, ipse tamen ex amatorio poculò furore correptus, sibimet violentas intulit manus. Parili modo *Dido*, vehementiâ amoris in *Æneam* victa, conscenso ingenti rogo, tanquam *Sichæi* manes placatura, se ipsam gladio trajecit, uti legere est apud *Virg. lib. 4. Æneid.*

Quandoquidem igitur hic magnus & pœnitendus affectus

fectus tristes & lugubres haud paucos, post se relinquit effectus, non negligenter ægri sunt tractandi, aliàs in extremum vitæ conjicientur discrimen. Propter id initio, ubi constitutio cerebri nondum adeo immutata est, malo resistendum, curaque maturanda. Ad hanc citò adornandam perbelle hortatur magnus ille amorum magister *lib. 16. Heroid.*

*Dum novus est, cepto potius pugnemus amori:
flamma recens parvâ sparsa resedit aquâ.*

Et lib. 1. de remed. amoris:

*Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget in primo limine, siste pedem.*

*Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.*

Nam mora dat vires.

Hanc usitatâ medendi methodo, quæ consuetâ indicationum trigâ absolvitur, pertractabimus. (1) *Cumatoria* ipsius morbi extinctionem indicat. (2) *Præservatoria* causas respicit, illaque aut tollendas aut corrigendas præcipit. (3) *Vitalis* viribus naturalibus consulit, & quomodo eadem conservandæ sint, indigitat. Singulis hisce indicationibus satisfieri poterit, remediorum materia ex usitatis fontibus, *chirurgico, pharmaceutico & dietetico*, desumpta.

Ex *Chirurgia* generosissimum & maxumè salutare deprimimus remedium *Venæ sectionem*: sine hac enim inquietudinem illam & rabiosam in venereos coitus tentiginem in amantibus non solvi, neque consulescere, donec turgens in venis rabies excreta fuerit, *Foresti* est opinio; utpote quæ, sanguinem æstuantem & fervidiorem temperat & corrigit, abundantem & semini materiam superfluum suppeditantem imminuit corpusque hoc modo refrigerat. Omnia tamen circumspectè hic & in totâ curatione agenda sunt, ne temerè aliquid, aut timidè fiat.

Posthanc *Cucurbitulis scarificatis* manet in hoc affectu
sua

sua laus: hæ ipsæ enim derivando, evacuando & revellendo blandè sanguinem ventilant.

Vesicatoria, fonticuli, cauteria, setaceum, frictions magnum quoque pollicentur usum; pro scopo tamen medici & pro ægotantium conditione moderanda & gubernanda.

Fons *pharmaceuticus* varia & nobilissima tum *generalia*, tum *specificia*, eaq̃ vel *simplicia* vel *composita* in ægotantium horum commodum suppeditat medicamenta. Et quamvis notum, imò dolendum sit, ab aniculis agyrtisq̃ priùs hõc in casu quæri pharmaca, quàm veri & experti in consilium vocitentur Medici; infelicem tamen eventum & rei ferè nullum fructum secutum creberrima edocet experientia. Proindè sollicitè curationem tractantes *universalia*, humores peccantes eorumq̃ alterationem & evacuationem spectantia, examinabimus.

Non levem itaque à digerentibus, præparantibus purgantibusq̃, modò æger medicis obtemperare velit præceptis ac monitis, antequàm fixiores morbus fecerit radices, sibi promittere poterit opem. Huic scopo inservient *cassia rec. extr. crem. & cryst. ꝑr. ꝑr. Olat. agaricus, manna, rhabarbar. Alex. fol. senn. s. s. mechoacann. alb. & nigr. fibr. hellebor. nigr. ppt. passula minor. &c.* & ex his variè concinnata medicamina.

Neque *Vomitoria* hìc negligenda, utpote quibus præcordia à saburrâ vitiosâ expedite liberantur; præcipuè si philtorum adsit suspicio propinatorum, parata ex *ꝑr. vit., rosa vitæ miner., ☉ Oli, ꝑr emetic., croc. metallor., asaro*, aliisque.

A *sudoriferis* etiam expectari posset auxilium, modò ab insanis sana hæc remedia non recusarentur.

Diuretica autem incidendo, resolvendo, præcipitando, aperiendo commodiùs exhiberi poterunt, vel in infuso ex rad. & herbis aperiensibus, vel in essentiis, tincturis, aut spiritibus mineralium aperitivis.

Alterantia eligi debent talia, quæ fervorem sanguinis & spiritus feroces coèrcent, œconomiam vitalem ac animale[m] susten-

sustentant, tranquillitatemque spirituum promovent. Talia sunt varia: organ., serpill., lil. convall., pœon., anagallis utraque, hyperic., agnus cast., cannab. nymphæa, & ex his destillatæ aquæ & paratæ essentiæ.

Inter *specificæ* autem, quæ *regnum vegetabile* suggerit, magni æstimatur *rutæ*: memoriæ siquidem prodidit *Plutarch. in symposiac. probl.* rutam, quam *ῥύζανον* vocarunt, à cogendo, non mediocriter conferre ob insitam illi à naturâ siccitatem, quam habet propter vim caloris: nam genitale semen cogit & coagulat, quare etiam *Ovid. de remed. Amor.*

utilius sumes acuentes lumina *rutas*.

Porro *vitex* appetitus venereos egregiè cohibet: hinc matronæ Athenienses, antequam ad *Theismophoria* Cereri sacra conferrent, aliquot dies ante, rebus venereis ut abstinerent, folia viticis sibi in lecto substernebant, teste *Dioscoride. Lactucarum* usus ad sedandam venerem ob frigus mirè prodest; quod significare voluerunt antiqui Poëtæ, qui mortuum Adonim inter lactucas à venere positum fuisse, narrant.

Folia salicis trita & pota, venerem imminuere, & si sæpe usurpentur, prorsus auferre scribit *Sennert.* Eundem effectum *verbena* quoque præstare dicitur.

Menthe vires, quibus ad extinguendam venerem pollet, manifestat ortum de eâ proverbium: *mentham tempore belli neque serito, neque edito.* Num vero recenti aut siccatæ hæ adscribendæ sint *S. Pauli* in *quadripartito botan.* exponit.

Camphoram veneris stimulum arcere, conceptumque impedire, jamdudum pro firmo habitum est, & adhuc habetur, quamvis experientiæ & observationi *Scaligerianæ* contrarietur. In majori autem dosi interius data camphora & aliquoties, appetitum præreum castrare & libidinem sepelire *Rhasis* olim fuit opinio, quæ etiamnum *B. Mæbio* placet.

Ex *regno animali* commendatur *pulvis secundine humana*, quem cum essentiis appropriatis, v. g. *artemisia*, *melisse* aut *croci* mistum, singulare & expertum esse secretum, in iis amore nimio laborantibus, dicit *D. D. Michaël. in annotat. ad*

C

chim.

chim. in artis formam redact. Magni Hippocratis Salani, τδ μα-
 καστ ROLFINCII.

Alii sanguinem humanum hunc compescere morbum per-
 hibent. *Julius Capitolinus* refert, *Faustinam*, illustrem *Anto-*
nii Pii Imperatoris filiam, ac tandem *Marci Antonini* philo-
 sophi uxorem, tali cruento remedio ab amoris affectione
 vindicatam. Hæc enim cum gladiatoris amore flagrans ferè
 contabuisset, *Marcus Imperator* ad *Chaldaeos* & *Mathemati-*
cos id retulit, qui suaferunt, ut occiso gladiatore, *Faustina*
 partem tepidi cruoris absorberet, viroque suo statim con-
 cumberet, ex quo concubitu *Antonius Commodus*, homo
 crudelis, fertur natus.

Non minor virtus *stercori amara* adscribitur: Quod si e-
 nim hoc in amantis calceum ponatur, ubi odorem senserit,
 solvi amorem traditur. Odiosa quidem res est, tuo relinquen-
 da loco, ab *Ovid.* tamen deducta *l. de remed. amor.*

Illas tuas redolent Phineo medicamina mensas,

Non semel est stomacho nausea facta meo.

Regnum minerale suppeditat lapidem *Topasium* in annulo
 gestatum, qui unanimi fere omnium medicorum consensu
 in supprimendâ venere multum præstare putatur. Palmam
 omnibus aliis præfert *Saccharum Saturni*, quod insigniter ve-
 nereis cupidinibus resistit, & si sæpius in usum trahatur, ad
 virilitatem tollendam sufficiens à nonnullis habetur reme-
 dium.

Ex his & aliis, quorum ingens catalogus à *Macasio* in
promptuar. Mater. Med. & *Schönbornio* in *manual. suo pract.* con-
 scriptus est, variæ pro unius cuiusque lubitu concinnari po-
 terunt formulæ, quibus diligenter adhibitis, hoc malum
 optimè coërcebitur.

Præter hæc nec aër frigidus & aqua gelida ad coërcen-
 dum hunc hostem officio suo defunt: constat enim pres-
 byterum *Evagrium* in puteum noctibus hybernis, & abbatem
Bernhardum in lacum, calorem corporis frigore aquarum
 temperandi gratiâ descendisse. Eodem fermè modo amoris
 flam-

flammam coërcuere episcopus *Tamanensis Audomarus*, & pater *Franciscus*, qui in nivibus corpus volutarunt nudum. *Crates Thebanus* amore laborantibus hæc offert remedia: Amori, inquit, medetur *fames*: sin aliter, *tempus*: quod si nec his uti possis, *laqueus*. *Luxus* verè alit amorem, *tempus* omnia aut tollit aut certè mitigat. Hæc remedia si nihil profint, *laqueus* superest, ut morbus finiatur suspendio. Vid. *Laërt. lib. 6. c. 5.*

Longe præstantiora verò & tutiora adversus libidinem *Hieronymus in vita Hilarionis abbatis* indicat remedia: *jejunium* nempe, *orationem* & *laborem*. Ad hæc non leve auxilium è fuga & peregrinatione est expectandum: Sic enim oculis, auribus, linguæ manibusque libertas eripitur; & in his totius curationis cardo ferè consistit; ex adspectu namq̃ provenit amor. Audi *Propert. lib. 3. eleg. ad Cynthia* ita camentem:

*Crescit enim assiduè spectando cura puella,
Ipse alimenta sibi maxima prabet amor.
Unum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris,
quantum oculis, animo tam procul ibit amor.*

Ob oculos potiùs ponendus *Thyamus*, qui à virginum adspectu sibi temperabat, ἀδύνατον βλέπειν ἄμα καὶ σωφρονεῖν ἠγέρῃ, impossibile ratus quod simul adspicere quis, & temperantia intra terminos se continere possit.

Picturæ amorum plenæ è conclavi removendæ, & libri, veneris sacra revelantes è medio tollendi, planeq̃ removendi.

Amatoriis detentorum compedibus aures obturandæ sunt, ne Sirenum cantus audiant & offendatur animus. *Musis* sedulò invigilandum & imprimis litandum. Αἱ ἢ μῦσαι σεμναὶ εἰσι, καὶ αἰεὶ τι φροντίζουσι i. e. *Musæ* pudico sunt vultu & perreverendo, & semper aliquo studio detinentur. Hæ omnes ab amore natos sopiunt angores.

Prætereà animus ad bella, venationes, jocos, ludos est di-

strahendus, quæ, ne amor altius radices figat cogatque insanire, plurimum possunt.

Cæterum si morbus fuerit pertinax; nec istis jam prolatiis miseri amantes, juventur, *melancholicorum* adinstar curandi erunt. Methodum & medicamenta suggerunt Practici; ad quos Lectorem benevolum remittimus. Jam solum dissertationi nostræ colophonem imponentes, lubet de *Dietæ* paucula quædam adhuc annectere. Triplex autem ab autoribus traditur, *Vitalis, Naturalis & Animalis*.

In *vitali aër* fit in calore & frigore temperatus, humidus paulisper, & nisi talis sit, arte parandus.

In *Naturali* victus ratio probè attendenda. Eligendi itaque sunt *cibi* moderatè calefacientes & humectantes, puri, tenuis substantiæ, & concoctu faciles: *Vitandi* contra frigidi, crassi, sicci, feculenti. Lacticinia interdicta sunt: flatuosa enim sunt & corrumpuntur facilè. Abstinentum etiam à falsis, duris, aceto conditis, aromatizatis, acris, sale & fumo induratis tam piscibus, quàm carnibus. *Convenient* potius carnes pullorum, gallinarum, caponum, perdicum, agnorum, vervecina, vitulina &c. it. juscula ex hordeo parata. *Potus* sit *cerevisia* tenuis, pura, optimè fermentata, hordeacea; *vinorum* imprimis potentium usus intermittendus; quod si vero nimis anxie expetatur, maxime temperatum & ὀλιγοφόρον concedendum. *Serum lactis caprini* medicatum optimum censetur à Practicis.

In *Animali somnus* quocunque modo procurandus: hōc enim facultas vitalis & animalis reficitur, sensus tam interni, quam externi roborantur, spiritus deficientes reparantur, tumultuantes demulcentur, calor viscerum augetur, distributio nutrimenti promovetur, corpus humectatur ac nutritur, quemadmodum *Hippocrat. lib. 2. de vict. ratione* scriptum reliquit; Et *lib. 6. Epidem.* ipsum animum recreare, in melancholia, mania, aliisque deliriis remedii loco esse dicitur. *Vigilia* contra ad ultimam ablegentur Thulen: spiritus namque ferocios reddunt corporisque vires dissolvunt, coctionem turbant, cruditates cumulant, cerebrum, totumque corpus
exsic-

exsiccant, bilem accendunt, mentisque alienationem inducere valent.

Motus ante omnia imperandus, mens negotiis oneranda, & honestis aliò ducenda est curis. Elegans locus extat apud *Anton. de Quevarra lib. 2. cap. 12. Horol. Princip.* Manibus exercitio laudabili occupatis, vacui sunt à vagabundis cogitationibus animi. Et alibi: Nihil est quod in hoc ludo cogitationis pilam fortius repulset, quàm manus operi admota. Ex quibus elucescit *otium* cane pejus & angue esse fugiendum; otium siquidem iners quocunque intrat, hostis instar portas vitii aperit universis, inquit *citatus* Autor. Hoc etiam secum reputans *Martialis* tandem sic suâ modulatur avenâ:

*Queritur Ægyptus, quare sit factus adulter?
in promptu causa est: desidiosus erat.*

Inter *Animi pathemata* exulent *ira*: hæc enim docente *Gal. 1. de cognosc. affect.* spiritus in corde & arteriis inflammat, sanguinem in venis concitat, cerebrum concutit, nervos convellit, humores exagitat, calorem innatum labefactat, valetudinem vitiat, morbosque inducit lethales.

Iram excipit *mæstitia*; hæc enim spiritus & sanguis ob eorundem versus suum principium cor lente factum recursum, præter modum consistendo exsiccantur, ita ut inde totius temperamenti mutatio sit expectanda.

Curis & sollicitudinibus nullus locus relinquendus; sed potius suavibus colloquiis, vel etiam musica ab intentis cogitationibus avocandus, & ad hilaritatem adducendus est æger. Cogitationes venereæ & lectiones amatorix; item conversationes cum objectis amabilibus prorsus sunt vitandæ.

Venus, legitimo tamen modò culta, omne hic absolvet punctum; quare omnis amans ita amet, ut rerum amatarum compos fieri possit; quippe juxta tritum illud melius est, *conjuge uti & nubere, quàm uri.* Sic amoris amenti optimus imponetur

F I N I S!

Deo interea grates pro concessa gratiâ & studiorum benedictione per omne vitæ meæ tempus ex imis cordis penetralibus ago habeoque devotissimas.

C 3

Quæ



Uæ Tibi pro meritis de-
cernit præmia Apollo,
ægris atque Tibi commo-
da multa ferant!

*gratulante & sincero affectu
scrib.*

Rud. VVilhelmus Craufius D. P. P.



Um Te cepit amor divinæ
maximus artis,
infanum felix noscere ri-
te potes.

Hunc curare simul dum doctâ men-
te laboras,
non nisi condignæ laudis honore
micas.

Mox Te supremæ cathedræ sacer
ordo medentum
junget, & eximiè fama brabea
dabit.

*Αυτοχεδιασι, animitus tamen meritissimos honores
Apollineos gratulor, successus invidendos
à Deo O. M. precatus*

Georg. Wolffg. Wedelius D.
Sanus



Anus in infanis tuus est la-
bor; ecce, Bachusj,
fanus ab infanis præmia
fana feres!

*Nobiliss. CLmoq;
Dn. Doctorando,
Amico dilectissimo
de honoribus optimè meritis gratulatur
ex animo*

P R Æ S E S.

ET vesanus amor quod sit medicabilis arte,
Docte demonstras doctior arte tua.
Dissertas doctus, quid sit medicamen amoris;
Defendis doctus dogmata amore rata.
Purpurea hinc merito tibi tempora cincta corona
Effulgent radiis ingeniosa suis.
Hinc & honore clues, quo non pollebat Apollo,
Quem Daphnes torsit non medicandus amor.
Gratulor: ast metuo, ne tandem vindice amore
Artetua, flagrans, indigeas medica.
Et dicas: nullis amor est medicabilis herbis
Destituor prudens artis ab arte mea.
Euge bonum factum! Tibi tantum grator honorem,
Gratabor pulchram præpropere Venerem.

*Hæcce Nobilissimo Dn. Doctorando
gratulabundus apponere voluit*

*M. H. D.
Nil*

Nil Medicô præsentē nocet; male-sana vo-
luptas

sana fit artifici sic in amore manu:

Mira cano; Medicus (quis credere posset?) amore
claruit insanô, dic mihi quantus amor!

Turpis, inanis, iners & edax Venus, irrita, quid non?
adde manus medicas, sana venena legis.

Sæpe Venus funus capulumque hæc copula struxit,
contigit innumeris sic in amore mori;

Officula ille legit, non oscula, & huic abierunt
lætæ lethales feriæ in inferias.

Solus amor Medici gratissima fert, comitantur
philtia facisque juba annulus, oscula suas;

Sic sapienter amans, Bacchusi, carpis honores
sanus & insani sic tibi amoris amor;

Sit tibi faustus amor, fausti quoque amoris ho-
nores

fit novus iste tibi plenus honoris honor!

*Hiscæ Nobilissimo atque Experientissimo
Dn. Doctore, Affini colendo
gratulatur honores*

Henr. Schævius, SS. Th. & Phil. Stud.

☉(o)☉

01 A 6559

ULB Halle

3


002 936 151



Sb.

VJ 17







13.

AUSPICE CHRISTO!
Auctoritate Gratosissimi Medici Ordinis
in incluta ad Salam Academia,
MODERATORE

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO, D.

Anatom. Chirurg. ac Botanic.

Prof. Publ. & Archiatro,

*Dn. Præceptore, Patrono atque Promotore
æternum colendisimo,*

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

De

AMORE INSANO,
PRO LICENTIA,

Supremos in arte Medica Honores ac Privilegia Doctoralia
Majorum more legitimè consequendi,
publicæ Philiatorum censuræ exponit

AUGUSTINUS SEVERUS *Sachhaus* /
Döbritzâ-Thur. h. t. Practicus Möllnensis,

ad d. 26. Jun. M. DC. LXXXVI.

IN AUDITORIO MAJORI

horis ante- & pomeridianis.

J E N Æ,
LITERIS KREBSIANIS.